



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Transactio inter accusatum & accusatores super crimine facta, nullum
robur debet obtinere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

bescunt : arbitrantur autem ad hoc sese tueri cuiusdam transactio[n]is pactione inter prefatos monachos & quemdam sacerdotem memorati V. praedecessorem ita factam, videlicet ut de duabus carrucatis terra, quas in dominio suo monachi tenent, tertiam dumtaxat decimarum partem frugum exoluere debeant, reliquas sibi retinendo. Quo fit, vt exinde occasionem sibi sumentes malignandi, prædia ex agricolarum defectu ad eos deuoluta, monachi in suum magis astute, quam prouide dominium conuentant: & quatuor vel forte plures carrucatas duabus aggregent, non aliter de illis decimis præstantes, quam de duabus præstissent, cum secundum tenoris compositionem integras de illis decimationes soluere tenerentur. Quapropter discretioni tuae, &c. quatenus cum exinde fueris requisitus, vtraque parte ante tuam præsentiam conuocata, rei veritatem diligenter inquiras, & nisi priuilegium clementia sedis apostolicæ sibi super hoc indultum coram te præfati palam produxerint, vel nisi transactio[n]em sibi scriptam, auctoritate apostolica confirmatam esse docuerint, cum alioqui inter personas potius quam inter ecclesiæ ita facta videatur, ne pacta inter alios facta, aliis obesse patiamur, omni dilatione & appellatione remota, prefatos monachos & eorum agricultores decimationes vniuersas, ex quibuslibet rebus prouenientes, ex integro absque omni diminutione supradictæ ecclesiæ beatæ Mariæ de Mertun, iugi præstatione singulis annis præstare, & etiam illorum quæ illicite detinuerunt, certam estimationem restituere, cum omni districcione compellas. Quod si discretioni tuae secundum ea quæ proponuntur tibi in iudicio, visum fuerit, prefatos monachos non nisi ad tertiam partis decimationum præstationem secundum iustitiam vrgere posse, tunc omnium eorum quæ Canones decimanda decreuerunt, appellatione remota, supradictos monachos tertiam partem ecclesiæ iam dictæ, apostolica auctoritate præstare decimas cogas.

Pacta inter
alios facta,
aliis non
obesse.

C A P. II. Item Gregorius uniuersis episcopis.

Scripta fraternitatis vestræ relegentes, agnouimus quod hi qui contra Hadrianum fratrem & coepiscopum N. aliquia dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam

ANNO CHRISTI 1179. conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate latitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt, indisputata permanere non patimur, sedis nostræ diaconem ad ea inuestiganda dirigitur: quia nos facinora ea quæ audiimus, dissimulare non debemus, præsertim cum accusatores & accusatum gratiam inter se iudicatis fecisse: hoc vobis necesse est subtiliter perscrutari, ne forte eorum comparata concordia, quod absit, non ex necessitate, sed præmio facta esse constiterit.

CAP. III.

Urbanus tertius abbatibus de VVillebec d^r de Sultefun.

Gratum gerimus & acceptum, quod in negotiis commissis vestræ iurisdictioni, debitam curam impenditis, & in his quæ dubitationem faciunt, pro grauitate vestri officii censuram sedis apostolicæ postulatis. Sane consuluit nos vestra discretio, an ante obitum delegantis, proposito citationis editio, lite vero post mortem delegantis contestata, delegatus iudex nihilo minus debeat in causa procedere: & utrum is intelligatur appellationi renuntiasse, qui ea interposita ad producendos testes inducias postulauit, & deinde productioni & allegationi renuntians, attestaciones petuit solenniter publicari, sicut hoc totum circa decessum bona memoriae prædecessoris nostri Lucii, qui vos iudices delegauit, sub examine vestro afferitis contigisse. Nos autem inquisitioni vestra taliter respondemus, quod cum in priore casu citatione facta quasi coepit sit negotium, & maxime, si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest & debet in causa procedi: tenebitque quod iustitia prævia fuerit judiciali tramite diffinitum. In secundo casu videtur ab appellatione recessum, si secundum ea quæ præmissa sunt, eum qui appellauerat, constiterit processisse.

7. q. 1. Si
quis pre-
byter.
11. q. 3. Si
quis episco-
pus. 16. q. 3.
Per singu-
las.